



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis  
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris  
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius  
Marius Victor, Claudius**

**Lvgdvni, 1536**

Cornelivs Fratri Lvpicino Viennensi Archiepiscopo Salutem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12149**

PIVS EPISCOPVS FRATRI  
IVSTO EPISCOPO.

**A**thalus epistolas martyrum portans ad nos uenit, gaudiū nobis inestimabile faciens de triūpho eorum: qui dixit nobis sanctū Verū collegā nostrū uictorē de mundi principe triumphasse: Tu uero apud senatoriā urbē Viennēsem eius loco à fratribus constitutus, & colobio episcoporum uestitus, uide ut ministeriū quod accepisti in domino impleas. Cura autē sanctorū martyrum corpora, sicut mēbra Dei: quēadmodū curauerūt apostoli Stephanū. Carceres sanctorū uisita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta spiritu sancto proba: & ut perseuerēt in fide eis incitator insiste. Præbyteri & diaconi nō ut maiorē sed ut ministrum Christi te obseruēt. Plebs uniuersa sanctitate tua protegatur. fratres nostri quos per Athalum recognoscēs, de tyrāni seuitia iā liberati requiescūt in domino. Pastor præbyter titulū cōdidit, & digne in domino obiit. Reuelatū mihi esse scias collega beatissime citius me finē huius uitæ facturū, unū flagitabo, in communione sta & mei ne obliuiscaris. Salutatur te senatus pauper Christi apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum qui tecum sunt in domino.

CORNELIUS FRATRI LVPICINO  
VIENNENSI ARCHIEPISCOPO

Salutem.

**S**cias frater charissime arcam dominicā uēto persecutionis acer-  
rime cōmoueri, & edictis imperatorū Christianos ubiq; tormē-  
tis uarijs affici. Nam in urbe Romana imperator ad hoc cōstitutus  
est, unde neq; publice neq; in criptis notioribus missas agere christia-  
nis licet. Exhortetur itaq; charitas uestra omnes credentes in Chri-  
stum ne timeant eos qui occidunt corpus, sed potius eū qui habet cor-  
pus & animā potestātē perdendi. Iam plures fratrum martyrio coro-  
nati sunt. Ora ut perficiamus cursum nostrū nobis à dño Reuelatū.  
Vale frater in domino & saluta omnes qui nos amant in Christo.